
NAZ.



ALDI PII MANUTII

SCRIPTA TRIA

LONGE RARISSIMA

A IACOBO MORELLIO

DENUO EDITA

ET ILLUSTRATA





BASSANI

TYPIS REMONDINIANIS

M. DCCC. VI.

PRAEFATIO

Nemo erit, opinor, qui monumenta ingenii ab Aldo Pio Manutio litteris tradita, si quae adhuc lateant, in lucem proferri non valde probet; quandoquidem vir ille de re litteraria immortaliter meritus nihil potius tota fere vita habuit, quam ut veterum suaeque aetatis illustrium auctorum scripta typis committeret ac evulgaret. At vero ea praesertim ut apud homines eruditionis cupidos gratiam ineant, par est, quae tum Aldi doctrinam apertius explicant, tum ad historiae litterariae et bibliographiae capita necdum perspecta cognoscenda simul quoque fa-

ciunt; cuiusmodi haec ipsa, quae nunc prodeunt, omnino sunt. Vix equidem fieri posse videbatur, ut posteaquam in ALDI memoria instauranda, librisque vel suis, vel alienis eius cura impressis, illustrandis Zenus, Maittairius, Ungerus, Mannius, Zacharias, Renovardius aliique operam utique multam posuere, scripta ulla occulta superessent, quorum ex editione nova, eaque scitu digna cognosci possent, laudisque accessio non levis viro laudatissimo exstaret. Fecit attamen sollicitudo studiumque pervicax, quo libellos bonitate iuxta ac raritate praestantes, mea ipsius amicorumque opera, conquirere iamdiu assuevi, ut hac quoque in re fructum suavem coeperim; quem cum iis qui in rebus eiusmodi eadem me-

cum voluptate tenentur modo comunicare lubet. Neque me a consilio deterret, quod scripta horum duo typis iam edita fuerint; cum de iis impressis, aut manu scriptis, quantum equidem constat, nemo meminerit, nemo indicium ullum fecerit, atque adeo velut inedita eadem excipienda propemodum sint.

Musarum Panegyris ad Albertum Pium et quae simul accedunt, absque ulla loci typographi annique nota, in quarta folii forma, ut dici consuevit, impressa sunt, chartis vix septem comprehensa. Exemplaria editionis, nisi duo, non ego novi: alterum in bibliotheca Quiriniana Brixiensi exstat, quod Vincentius Bighellius, vir litterarum studio et humanitate praestans, eius

Praefectus, apographo manu sua sumpto, mihi primum communicavit: alterum est apud Franciscum Tacconium Marchionem Sitizzani, aerario Regis utriusque Siciliae olim Praefectum, qui ut illud ipsum ex bibliotheca sua locupletissima mihi id expetenti inspiciendum mitteretur, pro eximia humanitate sua, postea fecit. Ut vidi ac expendi, libellum Venetiis impressum haberi posse plane cognovi; quod characteres, haud quaquam Aldini, aeque ac officinae chartariae notae, iidem omnino in eo sint, qui in libris tribus M. Antonii Sabellici de situ urbis Venetae aliisque, sine ulla nota, anno circiter MCCCCXCII, cura Antonii Moreti Brixiensis, impressis; itidemque in Epistolis Leonardi Arretini, ex eius-

dem Moreti recensione, an. MCCCCXCV, absque loci ac typographi nota, Venetiis recusis. Non idcirco tamen iis omnino annis Aldinum opusculum impressum fuisse ego statuo; quandoquidem, licet non ante ann. MCCCCLXXXVII idem scriptum appareat, quod Petrum Baroccium Episcopum Patavinum obiiciat, qui eo demum anno ex Episcopo Bellunensi Patavinus factus est (*); vel ipsa tamen opusculi lectio suadet editum ab ALDO fuisse, quo tempore apud Pios Principes praeceptorem agebat, neque typographiam Venetiis adhuc erat aggressus: hanc vero se an-

(*) *Chronicon Venetum inter Scriptores rerum Italicarum Muratorii T. XXIII. p. 1194. Hermolaus Barbarus Epist. ad P. Baroccium inter Epistolas claror. viror. Venetiis 1568. p. 119.*

no admodum MCCCCLXXXIX suscepisse, ALDUS ipse prodidit, cum in praefatione Thesauri Cornucopiae Hortorumque Adonidis anno MCCCCXCVI scripsit: *Dura quidem provincia est, bonarum litterarum studiosi, emendate imprimere Latinos libros, durior accurate Graecos, durissima non depravate vel hos vel illos duris temporibus. Quanam lingua curem ipse imprimendos libros, et quo tempore, videtis. Postquam suscepi hanc duram provinciam (annus enim agitur iam septimus), possem iureiurando affirmare, me tot annos ne horam quidem solidae habuisse quietis.*

Quod sequitur, ALDI epigramma de Venere et Cupidine, codex mihi iamdiu obtulit, initio saeculi XVI, Ma-

rini Sanuti patricii Veneti manu scriptus, multorum temporis illius poetarum carmina continens, Venetiis in bibliotheca quadam privata, ad quam vix ulli aditus patere consuevit, asservatus. Exscripsi illud mihi statim: neque id tantum, sed etiam adolescenti cuidam dedi, qui totus in Aldi rebus erat, deque iis grande moliebatur opus, quod postea non fecit. Enimvero neque ab eo, neque ab alio editum unquam novi: luce tamen dignum, si quod aliud Aldi carmen, idem profecto est.

Academiae Aldinae Legem de collocutionibus in ea Graece tantum habendis, etsi Scipionis Carteromachi verbis perscriptam, quod tamen Aldum quoque, Academiae Principem, lato-

rem habuerit, cum scriptis eius locum habere suum posse putavi. Quibus institutis ac disciplinis societas illa moderaretur, ex hac una Lege, ad antiquitatis normam condita, deprehendere quodammodo licet; et hac in re ut clarior lux ab aliis monumentis affulgeat, iusta cupido inde exoritur. Eius mihi exemplar unum superstes innotuit, absque ullo indicio, typis utique Aldinis, anno circiter MDII, in folio, ut aiunt, volanti editum; quod Etymologici Magni anno MID Venetiis impressi integumento coniunctum in bibliotheca Barberinorum Romae Caietanus Marinius, nunc bibliothecae Vaticanae Custos primus, reperiit; Gaspar autem Garattonius, qui bibliothecae ipsi Barberinorum praeerat, mihi

totum exscripsit. Modo itaque fit ut duorum litteris et humanitate illustrium virorum favore, monumentum hactenus abditum evulgare possim: quod equidem ut magis adhuc pateat, Latine ipse reddidi. Ex hoc eodem mihi suspicari posse videtur acta alia quaedam Academiae Aldinae, foliis itidem singulis, impressa fuisse, ut commodo ipsius constituendae et administrandae consuleretur; non secus atque Academiam Venetam Famae appellatam postea usurpasse, multa eiuscemodi folia ab Apostolo Zeno collecta mihi perspectum iamdiu fecere: quae eadem Ioanni Gottlob Lunzio opellae de hac Academia, Lipsiae anno 1801 editae, auctori nisi defuissent, uberius et accuratius argumentum illud pertractasset.

Haec de scriptis tribus Aldinis praefari opportunum esse duxi: alia quaedam in annotationibus adieci. Si quando, quod animo volvo, commentarium de Manutiis conficere et emittere licuerit; de vita et studiis eorum, deque libris ab iisdem scriptis, aliorumve editis, multa necdum cognita ut afferam, multaque ab aliis perperam dicta ut emendem, facile erit. Non huic tamen operi manus admovere constitui, nisi tomum secundum Bibliothecae meae Manuscriptae Graecae et Latinae ad finem perduxero; cui iamdiu inchoato quantum temporis ab occupationibus superest, tantum impendo. Interea nullus dubito, quin alia de rebus Manutiorum adhuc occulta monumenta sint proditura; namque campus

ad inveniendum latissimus patet. Id novo et praeclaro argumento comprobare me posse video, si conspectum operis in lucem deducam, quod Ioannes Franciscus Lancellotius e Staphylo Piceni oppido, magno sane labore, paraverat, ac se proxime editurum anno 1777 pollicebatur. Haec porro mihi tunc ille scribebat:

La Collezione mia conterrà pressochè trecento e più Lettere de' primi uomini di quel secolo, tutte inedite, e contenenti materie filologiche: e ve ne sono moltissime di Scipione Carteromaco, Marsilio Ficino, Desiderio Erasmo, Pietro Candido, Summonzio, Daniel Finì, Pietro Crinito, Giovanni Cuspiniano, Filippo Beroaldo il giuniore, Gio-

vanni Collaurio, Giovanni Fruticeno, Matteo Acquaviva, e di altri, tutte scritte ad Aldo il vecchio. Ve ne saranno alcune di Aldo medesimo inedite, con qualche di lui Poesia.

Di Paolo Manuzio poche Poesie, più Lettere Volgari e Latine, non state mai più pubblicate. Vi si ristamperanno altre di Paolo, stampate da esso in fogli volanti, ignote a tutti quelli che di Paolo hanno scritto; non che al Zeno padre della storia letteraria, le di cui ceneri rispetterò io sempre colla più viva venerazione.

Di Aldo il giuniore molte Lettere Italiane e Latine inedite, e circa quattordici Orazioni inedite, un

suo Commentario all' Orazione di Cicerone pro Lege Manilia, *un Trattato* De Statuis, *ed altre coserelle.*

Non sono da tacersi molte Lettere di Torquato Tasso inedite, di Dionisio Lambino, Giampietro Maffei, Antonio Fornari, Cristoforo Sassi, Marcantonio Mureto, Camillo Paleotti, Alvaro Gomez, Enrico Farnesio, Pietro Corsi, Luca Solidano, Lanterio Appiani, Marcantonio Lombardini, Lorenzo Panciardi, Paolo Crellio, Giacomo Breisnick, Paolo Beni, Enea Ubaldi, Vitale Trakod, Daniel Mauck, Pietro Perpiniano, Pietro Miscovio, Giovanni Genesio Sepulveda, Girolamo Capra, Marcantonio Natta, Ottavio Sammarco, Giovanni Turrisiani, Girolamo Ros-

si da Ravenna, Francesco Riccardotti, Giovanni Riccardotti, Mario Nizolio, Giusto Lipsio, Giovanni Sario Zamoscio, Mariano Severi, Giovanni Sambuco, Giacomo Gortsc, Guido Gualtieri, Paolo Sacrati, Francesco Mancini, Lorenzo Campeggi, Gioachimo Toeeleman, Orazio Cardaneto, Giacomo Roderigo Falconi, Nicasio Ellebodio Casletano, Giusto Vander Steinez, Girolamo Ciromi, Pietro ab Ordegheiss, Giovanni Caselio, Muzio Calini, Giovambattista Tizii, Girolamo Lippomano, Decio Brancaleone, Francesco Morando, Giampietro Marchisoni, Giulio Giacoboni, e di molti altri valentuomini, tutti amici di Paolo e di Aldo.

Questa suppellettile letteraria, per se medesima dovizìosissima, sarà corredata di alcune mie note e delle notizie letterarie di ciascuno de' mentovati scrittori ed amici dei Manucci; oltrechè pure vi saranno Notizie estese della Famiglia de' Manucci, suoi individui, Accademia, e Tipografia Aldina, degli Accademici; ed un Catalogo cronologico esatto de' Libri da Aldo il vecchio pubblicati, colle Lettere o sia ristampa delle Lettere dedicatorie de' libri di Aldo il vecchio. Vi saranno più Poesie di Marcantonio Mureto, Francesco Vinta, Ercole Ciofani, Pompeo Arnolfini, Girolamo Faleti, Orazio Toscanella, Pecino Leiano, Francesco Mauro, Lorenzo Masso-

lo detto Pietro Monaco Cassinense, Ippolito Capilupi, Fabio Paulini, Giulio Segni, Niccola Spinola, Vincenzo Lauria, Guglielmo Fonlerio, Giovanni Pinadelli, Francesco Bencio, Claudio Binetti, Marcantonio Pichissini, Antonio Sulfrini, e di altri; tutte similmente inedite, in lode dei tre Manucci; oltre più testimonianze onorevoli di molti scrittori di grido intorno a' Manucci suddetti. In somma, gran parte d'Europa vi troverà alcuna cosa nuova intorno a' suoi scrittori.

Eccole ristretta in breve la notizia, che desidera, del libro da me preparato per la stampa.

At enim, ex morte Lancellotii insecuta, operis tam large promissi edi-

tio prorsus evanuit. Etsi vero, quantum ex libris editis intelligi potest, commentario de Manutiis absolutissimo conscribendo par ille vir non esset; adeo magnam tamen copiam scriptorum, ex bibliothecis praesertim Romanis, diu multumque ab eo excussis, adornatam, apud ignavum fortasse quendam delitescere, qui bonarum litterarum studio tenentur, nisi aegre admodum, ferre non possunt.

[illegible]

MUSARUM PANAGYRIS
PER ALDUM MANNUCCIUM BASSIANATEM LATINUM
CUM HEXASTICHO ET PARAENESI EIUSDEM
AD ALBERTUM PIUM
MAGNIFICUM ATQUE INCLYTUM CARPI PRINCIPEM

HEXASTICHON

Carmina delectant pueros: en carmina, Princeps (1),
Dant ad te faciles ex Helicone Deae;
Namque tuis etiam resonat Parnasia rupes
Laudibus, et nomen fertur ad astra tuum.
Prima arguta canit Clio, Cliusque sorores
Alternis recinunt te super ista sonis.

PANAGYRIS MUSARUM

CLIO

O fortunati quam maxima gloria Carpi,
Gloria per nullos emoritura dies,
Dive puer, carae spes et fidissima matris,
Dive puer, gentis spesque decusque Piae,
Cresce, quia expectant ornent tua tempora lauri,
Quas tibi servatas utraque Pallas habet:
Cresce, tibi quoniam magni debentur honores,
Quos tibi victori parta trophaea dabunt.

MELPOMENE

Cresce tuis populis et carae, Alberte, parenti,
Fortuna heu semper cui peracerba fuit;
Ex quo dilecti flevit sic fata mariti,
Esse ut crudeles diceret illa deos,
Crudelesque deos, crudeliaque astra vocaret,
Tam cito delicias quod rapuere suas,
Quodque suam potius voluisset fundere vitam,
Cernere quam funus coniugis aegra sui.

POLYMNIA

Cresce; virum populis nam cum te fecerit aetas,
Tutor eris gentis praesidiumque tuae.
Tu quoque solamen, tu spes, tu gloria solus,
Optimus et princeps: quare age cresce, puer,
Optimus heroum quot sunt, quotcunque fuerunt,
Et quot venturos fata severa trahent.
Nam tibi recte equidem nascenti, Alberte, recordor
Sic fore concordes tres cecinisse deas.

URANIA

Ergo tuum nomen cum fama obscura recondet,
Atque erit obscurus cum tuus altus honos,
Nec tibi perpetuum laudes, nec facta manebunt;
Unda dabit segetes, sidera terra feret,

Omnia tunc retro convertent flumina cursum,
Lucis egens aer, lucis Olympus erit,
Enceladusque iterum supponet Pelion Ossae;
Sed dabitur magnos vincere posse deos.

EUTERPE

Postquam te talem Parcae cecinere futurum,
Qui te non coleret ferreus ille foret:
Ferreus ille quidem; sed qui te odisse valeret,
Esset montanis saevior ille feris,
Atque foret multo calcato immanior angue,
Nec non vorticibus, dira Charybdi, tuis,
Stymphalidasque truces, et Cerberon ille trifaucem
Saevitia, et Stygias vinceret ille canes:

TERPSICHORE

Esset et ille idem dignus sine fine renatis
Visceribus Tityi quod satiaret aves;
Sorte vel illius qui se sequiturque fugitque,
Versatur celeri dum levis orbe rotae;
Quodve, ut tu, esuriens esset tua, Tantale, poma,
Atque sitiret aquas, nec biberentur aquae;
Cervice aut misera ruiturum; Sisyphe, ferret,
Quod petis, aut urges irrequietus, onus.

THALIA

Si mulier; miserum natorum digna cruore
Esset crudeles commaculare manus,
Sive quod infando tauri poteretur amore
Altera Minoae machina Pasiphaes:
Si puer; a caro donum exitiale parente
Ferret, ut insanis obrueretur aquis,
Quodve foret turpis sceleratae flamma novercae,
Cui maris exitium monstra timenda darent:

ERATO

Inclyte seu posset, Princeps, te odisse puella,
Cui staret medio pectore dura silex;
Digna quidem fato Phryxi foret illa sororis,
Quae Hellespontiacis nomina fecit aquis;
Sive quod irati manes placaret amantis
Mactata, aut caderet quod patris illa manu,
Fataque, post urnas iterumque iterumque repletas,
Ferret apud manes Tartareumque Iovem.

CALLIOPE

Qui te amat, et qui te posthac, puer inclyte, amabit,
Et sanctos mores ingeniumque tuum,
Felix ille suos vel dextra computet annos,
Mortuus aethereas incolat ille domos.

At tu qui flava caput accingeris oliva,
Virtute et facies qui tibi ad astra viam,
Sis felix, volitaque hominum cum laude per ora,
Vel coeleste cibus cum tibi nectar erit.

FINIS MUSARUM PANAGYREOS

PARAENESIS ALDI MANNUCCII
AD EUNDEM PRINCIPEM

Te super ista solent cantare alterna Camoenae,
Haec de te Aonides carmina culta sonant.
Quae tibi quandoquidem nobis iussere daremus,
En dedimus: cantus perlege Pierios:
Et cum carminibus nostrum, puer inclyte, librum
Accipe, multa tibi qui pretiosa dabit.
Perlege, disce: tuae sic te praebere parenti
Mirandum poteris, sic tibi crescet honos.
Sic etiam divo semper, puer optime, Marco
Carus eris: natum te velut ille fovet,
Atque amat, et iusta tecum ditione gubernat
Carpum; qui gentis firma columna Piae est.
Marcus hic ille Pius, nulli pietate secundus,
Eloquio priscos qui bene vincit avos:
Marcus hic ille Pius, quo non praestantior alter
Horrida Martigenas ducere ad arma viros.
Huic multum ut placeas studeas noctesque diesque:
Hunc mihi ceu patrem tu face semper ames:
Ut patruo placeas, virtutem amplectere totis
Viribus: interea quae damus usque legas.
Nec tantum nostros libeat legisse libellos,
Nec tantum chartis incubuisse meis:

Perlege, disce etiam, Pallas tibi docta legendos
  Quos Romana dedit, quosque Pelasga dedit,
Et vigila, atque almae virtuti incumbe, labores
  Perfer, ut accedat laurea bina tibi.
Sic sublime tuum tolles ad sidera nomen,
  Mistus eris magnis magnus et ipse viris.
Interea Graios, divina volumina, libros,
  Et cum Romanis haec mea scripta lege;
Namque ubi grammaticen pueros docuere Latinam,
  Instituunt cultos dicere posse modos.
Dehinc tibi nos dabimus geminae praecepta Minervae,
  Quae Romana puto Graecaque turba leget;
Assiduis quae nunc castigo scripta lituris,
  Ut valeant doctas non metuisse manus.
Te modo, quos dedimus, iuvet hos legisse libellos,
  Doctior ut posthac cetera nostra legas.

FINIS PARAENESEOS

HESIODUS IN THEOGONIA DE NOMINIBUS MUSARUM

Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ' Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ'· ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν

TRANSLATIO SUPERIORUM CARMINUM

Clioque, Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque,
Terpsichoreque, Eratoque, Polymniaque, Uranieque,
Calliope multo ante alias praestantior omnes.

ALDUS MANNUCCIUS BASSIANAS LATINUS CATHARINAE PIAE PRINCIPI CLARISSIMAE AC PRUDENTISSIMAE S. P. D.

Quanti apud me sint Albertus Leonellusque liberi tui, quos nuper mihi erudiendos tradidisti, atque quanto ego amore, quantaque eos benivolentia prosequar, potes vel ex hoc facile perspicere, Catharina Princeps, Heroidum aetatis nostrae longe prudentissima (2), quod parum illud quod datur otii; nam multis negotiis impeditus vix quatuor horas ad summum suppeditare quotidie meo studio possum; non ad meam utilitatem, ut sane plerique facerent, le-

gendo consumo; sed in aliquo potius scribendo componendoque opusculo in disciplina grammatices, quod sit erudiendis liberis accommodatum: quod si ita est, nec ne, alter qui melius sciat, quam tu, non facile inveniri potest.

En de accentibus et Latinis et Graecis opusculum, quod nuper conscripsimus, tibique donavimus, ut a te pueris non modo legendum, sed etiam ediscendum offeratur et donetur tuis: quae cum digna mihi res, tum ipsis pernecessaria videbatur; non enim parum fructus et splendoris habet secundum accentus recta pronunciatio et moderatio dictionum: qua cum indigere liberos tuos animadverterem, ipsis deesse non volui, qui de accentu scriberem aliquid, quod ad evitandum barbarismum magno eis adiumento foret: in qua re conficienda quantum laboris et difficultatis sustinuimus, quoniam opus fuit ut plurimos et Graecos et Latinos libros evolveremus, ipse mihi sum optimus testis: certe multum elaboravimus.

Conscripsimus perpaucis ante diebus grammaticas Latinae linguae Institutiones, nec non de componendis carminibus opusculum, panagyricos quoque Musarum versus, quos illae de Alberti laudibus alternis concinunt: quibus omni-

bus, ut nosti, donavimus Albertum nostrum, adiuncto etiam libello Graeco, ut Graecas etiam litteras una cum nostris edisceret, itaque pariter iret, ut neutra lingua, quemadmodum praecipit Quintilianus, alteri officeret (3). Quod eo etiam feci libentius, quoniam tibi praecellenti ingenio Principi, atque habenti cum plurimis in rebus, tum in re quoque litteraria et acre et subtile iudicium, gratissimum me facturum sciebam, si clara et egregia indole praeditis, et te clarissima matre sane quam dignis pueris tuis aliquem libellum Graecum tanquam isagogicum scriberem; quos tu non exculta solum, sed perfecta quoque litteratura fore desideras; quam nemini ex hominibus nostris absque aliqua Graecarum litterarum cognitione, mira quadam tui ingenii bonitate, cognoscis non posse contingere, contra quorundam indoctorum hominum stultam opinionem, qui nihil aut certe parum existimant necessarias esse Graecas litteras hominibus nostris; qui quam recte sentiant, viderint qui intelligunt: certe errant vehementer. Quomodo enim qui Graece nescit Graecos imitari auctores potest, in omni disciplinarum genere quam doctissimos? a quorum fontibus quicquid fere est laude dignum in linguam Latinam constat

derivatum; qui tanta elegantia, tanto artificio, tam mirabili subtilitate omnia tractaverunt, ut Flaccus in Arte Poetica Graecos non iniuria admiratus, sic de Graecorum ingenio scripserit:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

Et in eadem:

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Accedunt nostrae sententiae alii plurimi, tam huius, quam antiquae aetatis, et docti et clari viri. Sed, ut novos missos faciamus, nonne M. Fabius Quintilianus, Latinae linguae peritissimus, hoc idem in primo De Oratoria Institutione sentire videtur, cum dicit (4): *A sermone Graeco puerum incipere malo, quia Latinus compluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet: simul quia disciplinis quoque Graecis simul instruendus est, unde et nostrae fluxerunt?* Et paulo post subiungit: *Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire. Ita fiet ut cum aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat.* Nonne etiam Priscianus grammaticorum omnium, meo quidem iudicio, accuratissimus confirmat sententiam nostram? qui librum suum, qui est the-

saurus grammaticae disciplinae, hoc modo incoepit: *Cum omnis eloquentiae doctrinam et omne studiorum genus sapientiae luce praefulgens, a Graecorum fontibus derivatum, Latinos proprio sermone invenio celebrasse, et in omnibus illorum vestigia consecutos artibus video, etc.* postea subiungit: *conatus sum pro viribus meis Graecorum praecepta virorum, quae congrua visa sunt, in Latinum transferre sermonem.* Quid dicam de Cicerone nostro, doctissimorum quidem omnium consensu parente Romanae eloquentiae? qui Athenas omnium liberalium artium inventrices dixit, quique in eo libro qui est scriptus ad Marcum Ciceronem filium de Officiis, cum philosophiae Athenis incumberet sub Cratippo principe illius aetatis philosophorum, filium, ut cum Latinis Graeca coniungeret, quoniam conduceret plurimum, suo exemplo sic monuit: *Tamen ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi; neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate.*

Vide igitur quam recte tu sentias, acri ingenio Princeps, atque magnum clarae et magnificae tuae gentis decus, Catharina Pia, si li-

beros tuos non Latine solum, sed etiam Graece scire desideras, multorum exemplo et clarorum virorum. Adde quod quantum divitiis et dignitate, tantum moribus et doctrina vis eos ceteris praestare hominibus; nec imitandos esse ducis nostrae aetatis principes, qui quanto digniores potentioresque sunt, eo etiam a bonarum artium disciplinis magis alieni. Non sic Romanos illos rerum dominos, non ipsos barbaros quondam, quos tu dignos imitatione existimas, fecisse constat. Illi quidem liberalibus disciplinis eo ardentius maioreque animo incumbebant, quo et ditiores et digniores erant: quod cum alii innumerabiles viri, tam clarissimi, quam potentissimi facere consueverunt, tum Ptolemaeus ille Philadelphus, vir quidem doctissimus, qui etiam bibliothecam nominatissimam fecit; atque etiam Mithridates rex Ponti, qui duarum et viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit; quemque medicinae rei perquam peritum fuisse commemorant; unde adhuc huius regis antidotus celebratissima est, quae Mithridatios appellatur.

His adde Philippum Macedoniae regem, qui quanquam omni ferme tempore negotiis belli victoriisque affectus exercitusque esset, a liberali

tamen Musa et studiis humanitatis nunquam abfuit; immo tanti faciebat bonas litteras, ut ad Aristotelem philosophum, nato sibi Alexandro, qui a rebus magnifice gestis Magnus postea cognomento est appellatus, sic scriberet:

Φίλιππος Ἀριστοτέλει τὸ χαίρειν. Ἴσθι μοι γεγονότα υἱόν. πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐκ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι· ἐλπίζω γὰρ, αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.

Quod sic exponi Latine potest

Philippus Aristoteli S. P. D.

Scias mihi natum esse filium: quare Diis habeo gratiam, non solum quia natus est, verum etiam quia eum nasci contigit temporibus tuis; spero enim ipsum a te eductum eruditumque et nobis et rerum nostrarum successione dignum futurum.

Vide quanti a rege illo potentissimo prudentissimoque doctrina ac virtus aestimabatur; quod ob id potissimum sibi natum esse filium gaudebat, quoniam doceri ab Aristotele posset, qui floruit temporibus illis.

Nec tamen ipse Alexander omittendus est, qui fuit et patre Philippo dignus filius, et Aristote-

le praeceptore discipulus; qui copiis ne, atque opulentiis, an doctrina ceteros anteire maluerit, ostendit his verbis in epistola ad praeceptorem:

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν. Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας, ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. ἔῤῥωσο.

Paraphrasis superioris epistolae

Alexander Aristoteli S. D.

Libros de Auscultatione Physica edidisse te sane moleste fero. Nam in qua item re erimus nos praestantiores ceteris, si eas, quibus eruditi sumus, disciplinas, communes omnibus feceris? Malim equidem optimis disciplinis omnes, quam facultatibus, antecellere. Vale (5).

Magnifica quidem vox, et Alexandro invictissimo rege et sapientissimo digna; qui divitias virtute multo inferiores esse putabat.

Quid dicam de Romanis nostris? et de Iulio Caesare in primis, qui aeque in litteris atque in armis claruit: quod ita sit, an minime, testes sunt eius commentarii, quos ille fecit rerum sua-

rum, ut relinqueret materiam volentibus de se scribere; sed tantae eloquentiae habiti sunt, ut nemo illos nec mutare, nec aliquid illis addere, aut minuere ausus sit. Quid item de L. Crasso Muciano? quem Romanae historiae scriptores quinque rerum maxima habuisse tradunt; quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iurisconsultissimus, quod pontifex maximus. Quid de Cn. Planco? quem eius epistolae ad Ciceronem indicant fuisse non minus eloquentem, quam Cicero ipse fuerit. Quid de Asinio Pollione, de Mecoenate, de Augusto Caesare, deque multis aliis? quos enumerare tum difficile, tum etiam supervacaneum esset; qui etsi erant nobiles et clarissimi viri ac principes, tamen et litteris accurate operam dabant, et studiosos viros ita fovebant atque suis opibus adiuvabant, ut plerosque temporibus illis ex infima fortuna claros admodum et poetas et oratores evasisse latissime pateat, necnon in ordinem senatorium atque ad summos honores processisse.

Nostro autem tempore unum tantum vidimus, qui nuper excessit e vita, Federicum Urbini Ducem (6), qui pariter et armorum et liberalium disciplinarum gloria excelluit; quique bonas ar-

tes tanta fuit benivolentia prosecutus, quod bibliothecam etiam quam magnificentissimam sibi construxit; in qua quidem comparanda circiter quadraginta millia nummum aureorum exposuit, longe etiam plura impensurus, nisi illum mors crudelis et inexorabilis invidisset hominibus studiosis. O iacturam grandem, o factum male, o damnum irreparabile! Tantum profecto hominem mori nunquam oportuisset, quem quidem unum ex principibus nostra aetate doctissimum exstitisse mirabile est. Quanquam illum Ioannes Picus (7), Princeps inclytus, germanusque tuus, longe quidem doctrina et bonarum artium cognitione antecellit; qui est tanto ingenio, tantaque doctrina, ut se iam toti orbi notum fecerit. Non licet hoc loco, ubi de principibus sermo est in omnium bonarum artium disciplinis egregiis, qui temporibus nostris pauci admodum sunt, Petrum Baroccium (8) praeterire, patricium Venetum perquam nobilem, ac Patavinum Episcopum, summa veneratione summoque honore dignissimum; cuius laudum principium facile quidem inventu est, exitus vero apprime difficilis. Hic profecto Romanae linguae sane quam doctus, si prosa oratione scribit, copiosus est, ornatus, gravis; si quando se ad car-

men et mansuetiores Musas refert, tersus est ac dulcis, itaque excultus et doctus, ut cum antiquis quoque illis doctissimis certare videatur: est etiam medicinae rei et simplicium maxime non ignarus, atque etiam geometra maximus, item in disciplina iuris et pontificii et civilis excellentissimus. Sed sentio quam angusto ambitu orationis summam huius principis doctrinam virtutemque complectar; non enim epistola digna est, sed immenso volumine. Praeterea cum sit summo ingenio princeps, summaque continentia et humanitate; amplius antistes iustissimus, episcopus sanctissimus, in tuenda servandaque Salvatoris nostri Christi Iesu religione aptissimus, accuratissimus, optimus; non a meo ingenio, quod sentio quam sit exiguum, verum a summo, et, quam meum, longe maiore, posteritati tradendus est. Nec item Hermolaus Barbarus (9) patricius Venetus, vir aetate nostra rerum omnium impense doctus, est silentio praetermittendus. Hunc certe L. Crasso Muciano, de quo nuper meminimus, longe quidem rerum maximarum numero praestare facile cognosci potest. L. enim Crassum quinque rerum maxima habuisse, historiae traditum est: Hermolaum vero, bone Deus, non modo quinque, sed etiam bis quin-

que et plura quoque habere conspicimus. De hoc enim dicere vere possumus, quod sit ditissimus, quod nobilissimus, quod eques clarissimus, quod et Graecae et Romanae linguae peritissimus, quod in cognitione simplicium medicinae excellentissimus, quod item eloquentissimus, quod iurisconsultissimus, quod philosophus maximus, quod astrologus summus, quod inter primos magistratus Venetos ornatissimus, quod homo optimus, quod, etsi iuvenis, etiam castissimus: adde quod Zacharia patre (10), viro dignissimo equiteque illustri ac Marci Evangelistae procuratore integerrimo, filius dignissimus. His atque aliis rerum maximis ornatus Hermolaus, lumen est ac decus Veneti potentissimi illustrissimique Senatus.

Tu autem cum ea sis quae et virtutem diligas mirum in modum, et nihil cupias magis, quam ut optimum quemque atque doctissimum virum sibi imitandum liberi eligant tui, seque ad illorum imaginem comparent, qui mirabiliter in laude vixerunt; non dubito quin cum clarissimis atque iis, quos connumeravimus, viris sint merito conferendi. Quamobrem perge, ut coepisti; quandoquidem cum prudentia tua, quae est quidem maxima, tum his filiis, superabis

omnium fortunas: me autem, ut de me loquar, habebis, cui aeque cari sint, atque fuerint patri; tibique persuadeas velim, quantum viribus eniti, consilio admonere, studio et doctrina iuvare potuero, hoc commune Alberto Leonelloque magnificis liberis tuis semper futurum. Vale.

ALDUS MANNUCCIUS BASSIANAS LATINUS
ALBERTO PIO PRINCIPI CARPENSI
S. P. D.

Cum xenia, o Princeps, Romani, Alberte, quotannis
Hospitibus brumae tempore rite dabant;
Reddideras et tu, sanctissime Iane, Calendas,
Anni qui finem principiumque vides.
Hic mittebat aprum, qualis Diomedis in agro
Occidit: hic foetae pignora parva suis:
Ille dabat capreas, lepores, damasque fugaces,
Laetas, cum pingui sumine, cortis aves.
Mitti et consuerat ventri lactuca movendo,
Rapaque brumali grandia facta gelu.
Dulcia mittebant alii farcimina: laetos
Sic ducebat avos ebria bruma meos.
Sic te, magne puer, Carpum Novumque salutet,
Oppida quotque tuo sunt tibi cum patruo.
Mons tibi boletos mittat, fungosque suillos,
Saturnalitios det tibi villa capos.

Nos tibi non dabimus quae pascant dona palatum,
Mandentur ventri quae peritura tuo.
Mittemus potius pascentia munera mentem,
Quaeque docent mores, ingeniumque iuvant.
Accipe nunc igitur parvum, mea munera, librum,
Conscriptum nuper, compositumque mihi.
Hic dabit accentus, geminae moderamina linguae,
Addictos facili sub brevitate tibi.
Qui si gratus erit, tribuam quae condita servo,
Et sunt temporibus quae tibi danda suis.
Hunc ubi tu scieris, longe maiora dabuntur
Dona tibi, pro te quae tuus Aldus habet.

FINIS.

(1) Albertum Pium Leonelli Principis Carpensis filium, anno 1475 natum, tutelae Marci consanguinei testamento patris relictum, Aldus a puero instituit, iamque Carpi degens vix quinquennem litteris erudire coepit: alii deinceps, quos inter Marcus Musurus, Trypho Dalmata, Gregorius Spoletanus, Ioannes Genesius Sepulveda, Coelius Calcagninus, Lilius Gregorius Gyraldus, Laurentius Maiolus, Petrus Pomponatius, vel praeceptores, vel studiorum adiutores, domi Ferrariae et alibi accessere. Inter viros aetatis suae principes is eximie litteris floruit: at non itidem fortuna, quam adversam tota fere vita expertum esse, cum ex aliorum scriptis, tum praesertim ex accuratissima Tiraboschii de eo enarratione cognoscere nullo negotio licet (Biblioteca Modonese T. IV. p. 156). *Albertus Aldo munificentissime favit, opes, praedia, auxilia multa ad libros imprimendos academiamque constituendam abunde tribuit, ac vel ipso quoque gentis suae nomine eum honestavit. Aldus vicissim animo deditissimo Alberto haesit, librisque pluribus inscriptis laudes eius gratique animi sui sensus uberrime explicavit; Aristotelis nimirum ac Theophrasti operibus ann.*

1494 *et* 1497, *Procli Sphaera an.* 1499, *Lucretio an.* 1500, *Ioannis Francisci Pici libello de Imaginatione an.* 1501, *Ammonii aliorumque Commentariis in Aristotelem de Interpretatione an.* 1503, *Ioannis Grammatici Commentario in eiusdem Analytica posteriora an.* 1504, *Alexandri Aphrodisei Commentario in eiusdem Topica an.* 1513, *iterumque Lucretio an.* 1515. *Mense Ianuario huius anni cum Lucretium demum inscriberet, sic eum alloquebatur:* Iampridem, Alberte decus Principum, decus huius aetatis eruditorum, constitui omnes de philosophia libros, quotquot ex aedibus nostris exirent in manus studiosorum, tibi dedicare, tum mea erga te singulari benevolentia, tum etiam quia id genus libris praeter ceteros delectaris. *Haec Aldus aeger morbo extremo cum laboraret, immo appropinquans morti scribebat; mense siquidem ipso tabulas supremas condidit, a Zacharia typis editas* (Biblioteca di Storia Letter. T. III. P. I. p. 378), *quibus cadaver suum transferri Carpum, ibique ex libito Alberti et Leonelli eius fratris, et ipsi sui iam discipuli, sepeliri iussit; proximi vero mensis initio cum vita excessisset, factum eius voluntati satis fuisse videtur. Rei*

monumentum nunquam cognitum, quod ipsum etiam de Aldi funere nova quaedam prodit, ex Diariis rerum sui temporis, autographis, iisque ineditis, Marini Sanuti patricii Veneti, a me magno iam studio inspectis, proferre lubet.

1515. 8. Febbraro. In questa mattina essendo morto za do giorni qui Domino Aldo Manutio Romano optimo Humanista et Greco, qual era zenero di Andrea di Axola stampador; il qual ha fatto imprimer molte opere Latine et Greche ben corrette, et fatto le epistole davanti intitolate a molti, tra le quali assai operette a mi Marin Sanudo dedicò, et compose una Gramatica molto excellente. Hor è morto, stato molti zorni ammalato: et per esser sta preceptor di Signori de Carpi, et fatto della casa di Pii, ordinò il suo corpo fusse portato a seppellir a Carpi, et la moglie et figliuoli andassero ad habitar ivi, dove quelli Signori li detteno certe possessioni. Et il corpo in chiesa di San Paternian posto con libri attorno, ivi fu fatto le exequie et una Oration in sua laude per Raphael Regio Lector Pubblico in questa città in Humanità; et il corpo posto poi in un deposito fino si mandi via.

(2) Catharina Ioannis Francisci Pici Principis Mirandulani filia, Ioannis doctrina celeberrimi soror, Leonelli Pii Principis Carpensis uxor, Alberti et Leonelli mater, marito anno 1477 *vita functo, Rodulpho Gonzagio postmodum nupsit; eoque in praelio ad Tarum fluvium anno* 1495, *cum pro Venetis pugnaret, interempto, iterum vidua remansit. Non unus eam Aldus impense commendat: Ludovicus quoque Areostus carmine ad Albertum filium, cum ceteris suis edito, quo extinctam deflet, prudentiae, gravitatis, formae, pudicitiae, leporis in dicendo, comitatisque nomine, laudibus cumulat. Itaque erroris turpissimi Sansovinum et alios, qui eandem a Gonzagio in adulterio deprehensam morte affectam dixere, Tiraboschius recte arguit* (Bibl. Modon. T. IV. p. 158.).

(3) De Accentibus Graecis et Latinis Aldi praecepta patent in eius Institutionibus grammaticis linguae utriusque impressis: opusculum seorsim de iisdem conscriptum hoc uno ex indicio est notum. In grammaticis Latinae linguae Institutionibus scribendis Aldum diu multumque repetito studio elaborasse, testis ipse est; namque hic primo a se iam scriptas di-

xit, postea libro tertio, de syllepsi disserens, rei anno 1492 peractae mentionem ingessit, neque tandem, nisi anno 1501, *in lucem emisit. Fides itaque habenda esse plane videtur Erasmo adversus Albertum Pium Aldi defensorem scribenti* (Apolog. adv. XXIV. libros Alberti, Oper. T. IX. pag. 1136.): „*De Al-* „*do nihil aliud habet Moria, quam haec ver-* „*ba:* Quandoquidem Aldus meus unus plus „ quinquies Grammaticam dedit. *Mira irrisio!* „ *At ipse Aldus mihi fassus est se novies scri-* „ *psisse Grammaticam*". *Graecae linguae Institutiones multo itidem tempore Aldum fecisse, ex eo perspectum est, quod easdem iam tum castigaret, cum paraenesim ad Albertum Pium scriberet, moriens autem adhuc ineditas reliquerit: quas anno demum* 1515 *Marcus Musurus evulgavit. Sane grammaticis linguae utriusque studiis operam Aldus impense dedit, doctrinaque ab antiquis praesertim scriptoribus hausta, multo maiorem auctoritatem, quam alii a nostris hominibus editi commentarii obtinuissent, suis conciliavit. Neque tamen omnia quae de rebus eiusmodi scripsit etiam typis dedit. Fragmenta Grammatica sua quoad pronunciationem, velut editioni parata, libro Gram-*

maticae Latinae tertio, ubi de nominibus patronymicis tractat, in Appendice operis eiusdem, ubi de diphthongis improprie dictis, et in Parergo de vitiata vocalium ac diphthongorum prolatione, ipse affert: sed Paulus filius in epistola ad Marium Corradum VI. Id. Nov. MDLXV. de iis iam scripsit: Fragmenta patris mei, quod requiris, apud me nulla sunt: furto ablata, quo ille tempore vita excessit, creditum est. *De Diphthongis Graecis ad Christophorum Fulginatem exstitit quoque Aldi opusculum, Patavii inter codices manuscriptos Laurentii Pignorii, a Tomasino relatum in eius bibliothecae et musei Descriptione, Venetiis an.* 1632 *impressa* (p. 26.). *Opusculum de componendis carminibus, fortasse deperditum, quod a se scriptum Aldus hoc loco innuit, nemo conquiret, qui ab eo abunde tradita libro Grammaticae Latinae quarto et commentariolo de metris Horatii noverit. Libellum Graecum isagogicum nemo praeter ipsum indicasse videtur: at Graece scribendi facultatem eidem familiarem fuisse, tum ex aliis; tum potissimum ex Grammatica Graeca, ea ipsa lingua conscripta, exploratum est.*

(4) Quintiliani aliorumque veterum scri-

ptorum testimonia, iuxta lectionem tempore suo receptam ab Aldo allata, itidem ego quoque repraesento.

(5) Philippi et Alexandri Epistolas Gellius lib. IX. cap. 3. et lib. XX. cap. 5. Noctium Atticarum retulit: posteriorem Plutarchus quoque in Alexandro, ac Themistius in praefatione ad Aristotelis libros de physica auscultatione dedere. Utramque in collectione Epistolarum Graecarum, an. 1499 impressa, Aldus protulit.

(6) Federicum Feretrium Urbini Ducem bonis artibus, studiis, moribus, virtutibus, dictis, factisque clarissimum, qui historiam rerum Italiae sui temporis vix attigerint, facile norunt. Bibliothecae locupletissimae ab eo institutae Bembus Cardinalis meminit, his Ludovici Odaxii, in laudatione funebri Guidi Ubaldi eius filii, verbis: Iam bibliotheca illa celebri, quam is maximis sumptibus comparavit, cum Latinorum, tum Graecorum, tum Etruscorum, tum etiam Hebraeorum lingua perscriptis, in omni disciplinarum genere libris monumentisque referta, omnes qui volumus utimur. *Leander vero Albertus in Descriptione Italiae haec ad rem habet* (p. 262. ed. Bologna 1550):

Ornò Urbino di belli edifizii, e massimamente di quel suntuoso palagio, ove fece una superba Libreria, mettendovi dentro gran numero di preziosi libri; copertati e ornati d' oro, d' argento e di seta; che era cosa maravigliosa da vederli; come io vidi, avanti che Cesare Borgia s' insignorisse di Urbino: i quali libri furono portati in qua e in là, nel tempo di detto Cesare Borgia: e così è stata rovinata tanto degna opera. *Ingentes attamen et valde pretiosae reliquiae ad annum usque* 1658 *Urbini remanserunt; quas in bibliothecam Vaticanam transferri Alexander VII. Pontifex Maximus curavit. Aedes illas imaginibus virorum omnis aevi doctissimorum Federicus exornavit, et inscriptiones apposuit, a Schradero in Monumentis Italiae an.* 1592 *Francofurti impressis, et a Chytraeo in Deliciis Itinerum Europae an.* 1599, *ac Swertio in Selectis Christiani orbis Deliciis an.* 1608, *denuo allatas; in iisque etiam* Victorino Feltrensi Praeceptori sanctissimo, ob humanitatem litteris exemploque traditam, *honorem tribuit.*

(7) Ioannes Picus quanta doctrina esset, Aldus optime noverat, utpote qui etiam domicilio secum aliquandiu Mirandulae usus fue-

rat, socio Emanuele Adramyteno, et ipso litterarum suarum apprime docto (Aldi epist. ad Ang. Politianum): *nunquam igitur, nisi cum laude, viri praestantissimi nomen usurpat; qui, ut Politianus inquit,* tam multis unus bonis abundabat, ut unus omnium laudes exhauriret (Epist. ad Baccium Ugolinum). *Bibliothecae ab eo quoque institutae, libris manuscriptis Hebraicis, Chaldaicis, Graecis, Latinis, aliisque refertissimae, fata primum prospera, miserrima postmodum fuere. Ioannes Franciscus Picus Ioannis nepos in fine operis de Providentia, anno* 1508 in suburbio Novi sub Alberti Pii Carpi Domini ditione *typis editi, haec ad Dominicum Grimanum Venetum Cardinalem habet:* Plura fortasse reponerem, si et otium animo et quies daretur corpori, si amplissimae quoque tuae bibliothecae copia mihi patuisset. Cui, postquam eius, quae Ioannis Pici patrui mei fuerat, ab Antonio itidem patruo, cui testamento obvenerat, ipsi tibi, me (fateor) non consulto, (quis enim eam sibi iure non mallit?) venditae, facta est accessio, et numerus in dies auctus ex omnis generis voluminibus, quae tibi magna cura sumptuque conquiris, facile continget, ut eam, quae Osymanduae, aut Ptole-

maei fuerat, posteri minime desiderent. *Iis potissimum Pici codicibus bibliothecam Venetiis in aedibus D. Antonii, quam Canonici Sancti Salvatoris incolebant, Grimanus Cardinalis constituit; cuius divitias Augustinus Steuchus ex iis Canonicis unus in epistola, qua Recognitionem Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem anno* 1529 *Marino Grimano Cardinali inscripsit, ita commendabat:* Tu patruusque tuus Dominicus Grimanus et ipse Cardinalis, collectis ex miserabili naufragio pretiosissimis libris, qui toto orbe terrarum dispersi, vel in tenebris delitescebant, vel proximum eorum ab igne vel alio casu impendebat exitium; magnaque ex omnibus linguis facta caterva, praeclaram et cui forte nulla secunda sit toto orbe Christiano, bibliothecam in aedibus Sancti Antonii Venetiis erexistis; in quibus libris sine dubio Religionis nostrae decus et dignitas conservatur et viget. *Index codicum Hebraicorum linguarumque aliarum, saeculo XVI confectus, cuius meminit Apostolus Zenus* (Annotaz. alla Bibl. Ital. del Fontanini T. II. p. 233.), *in eius bibliotheca superest: Graecorum alium valde copiosum, anno* 1528 *Venetiis a Martino Richtero scriptum, ut cognoscerem, Ca-*

ietanus Marinius Custos primus bibliothecae Vaticanae humaniter fecit: ex iis paucos Latinosque plures, a Tomasino in Bibliothecis Manuscriptis Venetis relatos cognoscere quisque potest: neque usum eorundem in editionibus a doctissimis viris saepe factum homines huiusmodi rerum periti ignorant. At vero tanta bonorum librorum copia, anno 1685 *a Mabillonio inspecta, saeculo eo ipso exeunte, incendio miserabiliter periit.*

(8) *Petrum Baroccium doctrina multiplici fuisse instructum, non tam ex libris eius vulgatis, quam ex fide scriptorum sui aevi praestantium, Aldique ipsius testimonio, tenemus.* Ingentem mathematicis disciplinis operam navavit assidue, ut non tantum quae arithmeticae, musicae, astronomiae, geometriae dogmata tradiderint alii brevissimo temporis curriculo didicerit, tenaciter memoriae commendaverit; verum etiam quae tot retro saeculis nunquam visa fuerint investigaverit, invenerit, et stabilissima ratione monstraverit. Circularis siquidem figurae quadrationem nemo est qui ad haec usque tempora novisse professus sit.... hic vero solus divino sui ingenii acumine adinvenit, scivit, et apertissime docuit: *quam ei laudem Christopho-*

rus Marcellus in Oratione funebri tribuit. Petrus Pomponatius virum in mathematicis artibus universaliter et apprime doctum *dixit* (De Incantatione p. 57. ed. Basil. 1567). *Medicinae peritissimus, pharmacum in arthritidis curatione adhibendum invenit: rem autem herbariam ita calluit, ut, Nicolao Leoniceno teste,* quemadmodum in omnium bonarum artium disciplina eminentissimus, ita in hac quoque medicinae parte neque ipsis medicis inferior esset (De Plinii et alior. in Medic. erroribus). *Litteris humanioribus admodum excultum fuisse, monumenta utroque scribendi genere edita iam ostendunt. Ad eum itaque Ioannes Antonius Flaminius scribere non dubitavit:* Nec enim quempiam video ex iis quos nostra haec tulit aetas, quem tibi in rerum humanarum ac divinarum scientia praeferam (Epistolar. p. 164). *Mazzucchellii studio, quae ille gesserit atque scripserit, cognoscere facile est. Addendum tamen, libros eius tres ineditos* De factionibus extinguendis et civibus in gratiam pristinam revocandis continendisque, *in bibliotheca Regia Londinensi superesse* (Casley Catalogue of the King' s Library. London 1734. 4.° p. 202); *et Basilii Magni Vitam ex Graeco Latine ab*

eo redditam in codice autographo apud Petrum Catharinum Zenum Clericum Somaschensem olim exstitisse, et in apographo apud me exstare. Lucretium, cuius indicium Ioannes Antonius Vulpius in secunda poetae editione dedit, et Sedulium Iuvencium ac Aratorem, ab eodem exscriptos in bibliotheca Canonicorum Patavii iam vidi: at eximii viri Vitam a Michaele Baroccio eius gentili, ex fide Sansovini scriptam (Venezia descritta p. 261. ed. 1581), *nunquam videre memini. Epiphanii Homiliam de Christi sepultura a Baroccio Latine expressam in codice Casinensi Mabillonius offendit; qui eiusdem Epistolas a Petro Delphino Ordinis Camaldulensis Praeside illius amico iam collectas et editioni paratas reperire maluisset* (Iter Italic. p. 204).

(9) *Quamvis de Hermolai Barbari rebus gestis et scriptis multi, ac praesertim Apostolus Zenus et Mazzucchellius disseruerint; commentarius tamen absolutus, et viro eo undequaque praestantissimo aequalis necdum ab ullo prodiit. Quoad studia litterarum in adolescentia peracta, ex tabulariis gymnasii Patavini mihi constat, anno* 1474 *in eo laurea philosophica donatum fuisse, ac triennio post*

iurisprudentiae insignia suscepisse; ethicam vero anno illo 1474 *ac sequenti inibi esse professum, secus atque scriptores etiam probatissimi memoriae prodiderint. Ex eius epistolis maximam partem ineditis, quarum duo potissimum volumina a Zeno relata, nunc vel deperdita vel abdita, ego quoque iamdiu versavi, multa ad commentarium conficiendum equidem suppeterent. Scriptae eae sunt ab anno* 1483 *ad* 1488, *Georgio Merulae, Hieronymo Balbano Lucensi, Bernardino Crasso, Bartholomaeo Furnio Genuensi, Leonardo Montagnae Veronensi, Marsilio Ficino, Laurentio Mediceo, Baptistae Guarino, Augusto Baldo Patavino, Ioanni Antonio Pantheo Veronensi, Petro Guevarae, Ioanni Pico, Eliae Iudaeo, Iacobo Antiquario, Arnoldo Gandavensi, Nicolao Verniae Theatino, Ludovico Odaxio Patavino, L. Æmiliano Cimbriaco, Laurentio Abstemio, C. Pontico Facino, Lippo Brandolino, Aristophilo Romano, M. Antonio Sabellico, Antonio Bracello, Francisco Gaddio, Michaeli Carrariensi Bergomati, aliisque; nec non Antonio Calvo, Bernardo Bembo, Bertuccio Georgio, Antonio Mulae, Antonio Bolduo, Dominico Mauroceno, et*

Hieronymo Donato patriciis Venetis. In exemplis librorum Graecorum sibi conficiendis virum doctissimum operam quoque ponere consuevisse, Athenaei codex Parisiensis, a Schweighaeusero potissimum adhibitus, demonstrat; itidemque alius Dionysii Halicarnassensis opuscula de scriptoribus Graecis et Demetrium Phalereum de Elocutione complectens, partim a Barbaro, litteris valde minutis, partim a Thoma Didymo Zenotele Fertino eius librario exaratus; quem cum Stephano Byzantino de Urbibus, a Zenotele Fertino eius librario exaratum in bibliotheca domestica habeo. Imaginem Barbari, habitu patricii Veneti, a Victore Carpacio in aedicula D. Ursulae Venetiarum depictam Pierius Valerianus eleganti carmine denotavit (Hexametri etc. p. 123. t.): *de pictura in aede Romana exhibita id Zenus perperam intellexit.*

(10) *Zachariae Barbari nomen Mazzucchellius aliquantulum illustrat, cum de Hermolao filio scribit. Addere mihi licet, apud virum nobilitate, rei bibliographicae peritia, librisque raritatis eximiae sibi comparatis spectatissimum, Aloisium Serram Cassani Principem codicem manuscriptum exstare; cuius no-*

titiam in Indice manuscripto librorum ipsius hisce verbis factam fuisse vidi : Francisci Barbari et Andreae Contrarii Epistolae. Praecedit Vita Francisci Barbari per compendium delibata. Codex membranaceus elegantissime conscriptus et figuris ornatus, cum initialibus vario colore depictis et deauratis, scriptus manu Ioannis Cynici Parmensis, in gratiam Ferdinandi Aragonii Regis, eidemque a Zacharia Francisci Barbari filio dedicatus, cuius stemma exstat in aversa pagina depictum et deauratum, in folio.

ALDI ROMANI IN VENEREM

Si Venus haec Superos peteret, parvusque Cupido,
Quanta olim in terris, maxima rixa foret.
Nam dea se Venerem vera contenderet: haec se,
Quae nata ex spumis est maris, esse deam.
Haec eadem facerent Amor hic, Amor ille; nec ipse
Finiret litem Iupiter hanc dubius.

Latinae poeseos ab Aldo excultae monumenta exstant carmina ad Albertum Pium, epigrammata nonnulla suis Grammaticae linguae illius Institutionibus interiecta, hexametri versus pro epitaphio Herculis Strotii, cum Strotiorum poematibus an. 1513 *in Aldi officina impressis editi, aliique perpauci Aldinis praesertim libris inserti. Quod iis modo accedit, epigramma, ad opus eximium sculpturae, Veneris cum Cupidine ludentis, laude extollendum Aldus fecisse videtur; ac id forte Venetiis, ubi iam ab ipsa litterarum et artium instauratione monumentorum veterum magna semper copia exstitit: immo vero signum idem Aldus videre et laudare potuit, de quo, multo post in museo Ioannis Grima-*

ni Patriarchae Aquileiensis a se viso, *epigramma lusit Nicolaus Grudius Nicolaius inscriptum* In statuam Veneris atque Cupidinis, quae visitur Venetiis in palatio Patriarchae Aquileiensis, *inter Poemata trium fratrum Belgarum etc. a Bonaventura Vulcanio an.* 1612 *Lugduni Batavorum editum. Graecam quoque poesim Aldus attigit: quod eius epigrammata duo declarant, cum Organo Aristotelis ac Thesauro Cornucopia Hortisque Adonidis anno* 1495 *et sequenti impressa*.

ΝΕΑΚΑΔΗΜΙΑΣ ΝΟΜΟΣ

Ἐπειδὴ πολλὰ, καὶ ὠφέλιμα τοῖς περὶ παιδείαν ἐσπουδακόσι παραγίνεσθαι πέφυκεν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς ὁμιλίας, δέδοκται κοινῇ τοῖς τρισὶν ἡμῖν, Ἄλδῳ τῷ Ῥωμαίῳ, Ἰωάννῃ τῷ Κρητὶ, καὶ τρίτῳ ἐμοὶ Σκιπίωνι τῷ Καρτερομάχῳ, νόμον θέσθαι, μὴ ἄλλως ἐξεῖναι ἀλλήλοις ὁμιλεῖν, εἰ μὴ τῇ Ἑλλάδι φωνῇ. εἴ τις δὲ ἄλλως διαλέγοιτο ἐν ἡμῖν, ἢ ἐξεπίτηδες, ἢ μὴ προνοούμενος, ἢ καὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου ἐπιλαθόμενος, ἢ κατ' ἄλλην τινὰ τύχην, ζημιούσθω ζημίᾳ, εἰ μὴ ἄρα τις ἐπιτηδεύων ἐξαμάρτοι καὶ τοῦτο. καταβαλέτω δὲ ὁ ἐξαμαρτὼν τὸ ἐπιτίμιον εὐθὺς, μὴ δ' αναβαλέσθω ἐς τ' αὔριον, ἢ ἐς τ' ἔννηφιν· μὴ ἀποτίσας δὲ, διπλάσιον ὀφειλέτω. μὴ δοὺς δὲ καὶ τοῦτο, τετραπλάσιον, καὶ κατὰ λόγον ἀεὶ τῆς ὑπερθέσεως εἰσπραττέσθω. ὀλιγωρῶν δὲ τοῦ νόμου, ἢ καὶ τοῦ ἐκτίνειν ὑπερορῶν, τοῦ κοινοῦ τῶν Ἑλληνιστῶν ἀπελαυνέσθω, καὶ τῆς τῶν σπουδαίων ὁμιλίας ἀπαξιούσθω, καὶ τὸ ἀπὸ τούτων ἀποφρὰς νομιζέσθω τὸ σοῦ τοιούτου ἀπάντημα· ἐμβεβλήσθω δὲ τὸ καταβαλλόμενον ἀργυρίδιον ἑκάστοτε εἰς βαλάντιόν τι, ἢ καὶ, νὴ Δία, πυξίδα, εἰς τοῦτο μόνον ἐκτετορνευμένην· αὕτη δὲ παραδιδόσθω εἰς φυλακὴν, ἢ ἡμῶν τινι, ἢ τῷ χειροτονηθέντι ὑφ' ἡμῶν ὡτινιοῦν, καὶ ἀξίῳ κριθέντι, ἐπικεκλεισμένη πρότερον ἐπιμελῶς, καὶ ἐπεσφραγισμένη ἐς τὸ ἀσφαλέστατον. ὅταν δὲ ἀνοιχθῆναι δοκῇ, εἰς τὸ μέσον προτεθείσθω, καὶ διηριθμήσθω τὸ νόμισμα· καὶ εἰ μὲν ἱκανὸν ᾖ εἰς συμποσίου τιμήν τε καὶ δαπάνημα, ἐγκεχειρίσθω Ἄλδῳ τῷ κυρίῳ, ἀφ' οὗ

ὑμᾶς ἐκείνους ἑστιάτω λαμπρῶς, καὶ οὐ κατὰ τοὺς ἐντυπωτάς, ἀλλ' ἀνδράσι πρεπόντως τοῖς τὴν Νεακαδημίαν ὀνειροπολοῦσιν ἤδη, καὶ Πλατωνικῶς μικροῦ δεῖν κατασκευάσασιν αὐτήν. εἰ δὲ μή πω ἱκανόν τ' ἀργύριον εἰς τὸ συμπόσιον, ἐναποτιθείσθω πάλιν εἰς τὴν πυξίδα, καὶ ἐναφιέσθω ἕως οὗ τοσοῦτον ἐνείη τε καὶ ἐγγένοιτο, ὅσον ἐξαρκεῖν εἰς τὴν ἑστίασιν.

Ἐξέστω δὲ μηδένα ἡμῖν συμπότην παραλαβεῖν, πλὴν εἰ ἄρα τῶν φιλελλήνων τινὰ οὐκ ἀνάξιον τοῦ χοροῦ, τουτέστιν οὐκ ἄμουσον, οὐκ ἄμοιρον τῶν Ἑλληνικῶν, καὶ τὸ μέγιστον, τῆς Νεακαδημίας οὐκ ἀλλότριον, οὐκ ἄπειρον, οὐδ' ἀμύητον τῶν ἡμετέρων. εἰ δέ τις ξένος, ἢ τῶν ἔξωθεν, οἷα φιλεῖ, ἀφίκοιτό ποτε, καὶ ἐπιδημοίη ἐνταῦθα κατά τινα χρείαν, εἰ μὲν πεπαιδευμένος, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἐπιστήμων, καὶ αὐτὸς ἔνοχος ἔστω τοῖς ἀναγεγραμμένοις· ἀντιτείνων δὲ τῷ νόμῳ, ἢ ἐναντιούμενος, μηδεμιᾶς τυχὼν συγγνώμης, μηδὲ ἀπολογίας τινός, ἐρήμην εὐθὺς καταδεδικάσθω, καὶ τῆς Νεακαδημίας ἐκδεδιώχθω, ἀνάξιος ὤν, καὶ τοὐντεῦθεν μηκέτι εἰσδεδέχθω ἐν ἡμῖν, εἰ μὴ μετανοῶν ἐφ' οἷς ἥμαρτε, τοῖς ἅπαξ κατασταθεῖσιν ἐμμένειν ὑπόσχῃ, καὶ ὥσπερ ἐγγυητὰς καταστήσῃ. εἰ δ' αὖ τις μὴ εἰδὼς τὰ Ἑλληνικά, ὡς μή πω τούτων ἠμμένος, ἢ μὴ ἐπὶ τοσοῦτον, ὥσθ' ἑλληνίζειν δύνασθαι, ἀλλ' ἐν τοῖς τοιούτοις ἔτι παιδευόμενος, ἢ καὶ παιδεύεσθαι προθυμούμενος, καὶ οὗτος ἐν ἡμῖν ἐξετασθείς, ἐθιζέσθω καὶ αὐτὸς κατὰ μικρὸν τὰ ὅμοια ἡμῖν ἑλληνίζειν· ἀτακτήσας δέ, ἢ καί, νὴ Δία, καταγελάσας τῆς διατριβῆς, ἀποκεκλείσθω τοῦ λοιποῦ, μηδ' αὖθις τῆς συνουσίας ἀξιούσθω, μηδ' ἂν πάνυ δέοιντο.

Εἰσηγήσατο τὸν νόμον Σκιπίων Καρτερόμαχος, φυλῆς ἀναγνωστίδος. ἐπεψήφισαν Ἄλδος Ῥωμαῖος, ὁ τῆς Νεακαδημίας ἀρχηγέτης, καὶ Ἰωάννης Κρὴς, φυλῆς διορθωτίδος, πρυτανεύοντες. ἐπεχειροτόνησαν δὲ οἱ Νεακαδημαϊκοὶ πάντες, ὧν Βαπτιστὴς πρεσβύτερος, φυλῆς ἱεροπρεπίδος, καὶ Παῦλος Ἐνετὸς, φυλῆς εὐγενετίδος, καὶ Γερώνυμος Λυκαῖος ἰατρὸς, φυλῆς θεραπευτίδος, καὶ Φραγκίσκος Ῥοσῆτος Βηρωναῖος, φυλῆς διδασκαλίδος, καὶ ἄλλοι συχνοὶ μαθητιῶντες ἤδη, καὶ τῆς Νεακαδημίας ἐπιθυμοῦντες, ὀνόματι μόνον προσαγόμενοι.

Εἴη δὲ εὐτυχεῖν ταύτην εἰς ἅπαντα, καὶ τοὺς αὐτῆς ἐχομένους.

NOVAE ACADEMIAE LEX

IACOBO MORELLIO INTERPRETE

QUANDOQUIDEM studiosis eruditionis multa, eaque utilia ex collocutione Graeca obvenire consueverunt; de communi sententia visum est nobis triumviris Aldo Romano, Ioanni Cretensi (1), ac tertio mihi Scipioni Carteromacho (2) legem sciscere, ne aliter, quam Graeco sermone, invicem colloqui liceat. Si quis autem secus inter nos locutus fuerit, vel de industria, vel imprudens, vel etiam ipsius legis oblitus, vel alio quocunque eventu id fecerit, multa multator; nisi forte quis consilio hac quoque in re deliquerit. Solvito autem qui peccaverit multam actutum; neque id in crastinum, aut in perendinum diem differtor. Qui vero non solverit, in duplum tenetor. Quod si ne illud quidem solverit, quadruplum, atque ita porro, pro ratione procrastinationis, exigitor. Qui autem legem parvi fecerit, aut multam solvere neglexerit, ex communi sectatorum litterarum Graecarum coetu expellitor, studiosorumque consuetudine indignus existimator, atque dein-

ceps hominis huiusmodi occursus velut inauspicatum quid habetor. Reponitor autem soluta pecunia singulis quibusque vicibus in marsupio aliquo, vel quidem etiam in pyxide ad hoc unum tornata: ea vero custodienda traditor aut nostrum alicui, aut alii cuipiam suffragiis a nobis constituto, quicunque is fuerit, dignoque muneris habito; clausa prius ea diligenter et obsignata, ut quam maxime tuta sit. Quando autem visum fuerit ut eadem aperiatur, in medium apponitor, pecuniaque numerator: ac si quidem haec ad convivii pretium et impendium satis fuerit, Aldo cum potestate traditor, ut ea nos ille splendide convivio excipiat; non quidem sicuti librorum impressores, sed quemadmodum homines decet Novam Academiam iam somniantes, quique eam Platonis propemodum exemplo instituerunt. Quod si nondum sat pecunia fuerit pro apparando convivio, in pyxidem iterum conditor, et ibi relinquitor, donec tanta insit ac exstet, quae convivio instruendo sufficiat.

At vero neminem liceat nobis convivam adhibere, nisi Graecarum litterarum utique studiosum, et eiusmodi choro dignum; non vi-

delicet hominem ullum illiteratum, Graecae eruditionis expertem, ac, quod caput est, a Nova Academia alienum, institutorumque nostrorum ignarum. Quod si quis hospes adsit, aut alienigena, uti solet, unquam advenerit, et alicuius negotii caussa istic moram traxerit; si quidem eruditus et Graece sciens fuerit, ipse quoque iisdem, quae praescripta sunt, obnoxius esto: at si legi obnitatur, vel adversetur, veniam nullam suive purgationem consecutus, indicta caussa, illico damnator, ac ex Nova Academia, utpote indignus, expellitor; neque exinde ullo unquam tempore inter nos admittitor, nisi eorum quae perperam egit poenitens, legibus semel constitutis se teneri patiatur, ac sponsores quodammodo praebeat. At contra si quis litterarum Graecarum imperitus, quod vel eas nondum attigerit, vel non in ipsis tantum processerit, ut Graece colloqui valeat, sed iisdem adhucdum erudiatur, vel etiam erudiri studeat; hic quoque inter nos annumeratus, et ipse paullatim Graece, perinde ac nos, loqui assuescito: quod si ab ordine desciverit, vel profecto congressum nostrum etiam irriserit; in posterum excludi-

tor, neque rursus conversatione nostra, ne si quidem vehementer id oret, dignus habetor.

Legem tulit Scipio Carteromachus ex ordine Lectorum. In suffragia miserunt Aldus Romanus Novae Academiae Princeps et Ioannes Cretensis ex ordine Correctorum Praesides. Suffragiis autem probaverunt Novi Academici omnes, inter quos Baptista Presbyter ex ordine hominum Deo dicatorum (3), et Paulus Venetus ex ordine virorum Nobilium (4), et Hieronymus Lucensis Medicus ex ordine eorum qui arti salutari sunt addicti (5), et Franciscus Rosetus Veronensis ex ordine Praeceptorum (6) et plerique alii, qui iam eruditionis et Novae Academiae desiderio tenentur, solo nomine adsciti.

Huic autem Academiae eique adhaerentibus utinam omnia prospere cedant.

Academiae Aldinae initia ad annum saltem 1501 *esse referenda, ex decreto Senatus Veneti, quo, ne libros ab Aldo impressos alii in hac urbe aliisve Reipublicae subiectis recuderent, aut ex aliena editione venderent, mense Novembri anni* 1502 *cautum est, satis constat; quod eo* in hac urbe nostra, Divino adiumento, iam vel Neacademiam habet *dictum de Aldo sit: Aldus autem ipse Orthographiam Graecarum dictionum Statii, mense Augusto anni illius* 1502 *impressam, Marco Musuro cum inscriberet, eandem secum in Academia fecisse declaravit. Sophocles, Herodotus, Ovidius, et Oratio Egnatii pro Benedicto Prunulo, anni ipsius; Euripides, Ammonius, Xenophon, Georgius Gemistus, Herodianus et Ovidius anni* 1503; *Oratio Carteromachi, Ioannes Grammaticus, Gregorii Nazianzeni Carmina, Q. AEmiliani Cimbriaci Encomiastica in Federicum et Maximilianum Impp., Homerus, et Demosthenes anni* 1504 *Academiam florentem ostentant. Anno tamen sequenti vix eius mentio ab Aldo fit, idque tantummodo in epistola ante Pontani poemata, qua se de ea*

constituenda laborantem prodit: *iamque anno* 1508, *quo Erasmus Aldum convenit, quaedam hic* iucunde quidem somniabat, praesertim si sermo accederet de exstruenda nova Academia; sed fidem non praestitit, *quemadmodum Erasmus ipse Ambrosio Leoni scripsit* (Oper. T. III. P. I. p. 507). *Quae insecuta sunt bella Aldo gravia adeo fuere, ut ne dum Academiae incolumitati aut incremento consulere ipse posset; verum etiam Venetiis excedere, ac Mediolani Ferrariae alibique diu degere coactus, typographiae quoque intermissionem se ante iam quatuor annos mente agitasse, Andreae Naugerio in dedicatione Pindari, quem tamen ipsum* ex Academia nostra, *ut inquit, anno* 1513 *emittebat, profiteretur. Spem demum hac de re totam in Lucretia Borgia Ferrariae Duce reposuerat; cui Strotiorum poemata anno eodem impressa cum dedicaret, hanc quoque ceteris eius laudibus adiiciebat:* Adde etiam quod, pro summis, quibus praedita es, virtutibus, dignissima es, quam laudent honorent venerentur omnes; atque ipse in primis, cum propter alia, tum quia Academiam, cui constituendae iam

multos annos studeo, tuis opibus, tuo solius sumptu facturam te, sinant tempora, ultro mihi receperis. *Biennio post Aldi mors consilia de Academia omnia redegit in nihilum: quae profecto, quod scriptoribus antiquis Graecis et Latinis emendandis et in lucem proferendis dedita praesertim esset, si qua alia, ut perpetuo duraret, rei litterariae maxime intererat.*

Aldo quinam socii in Academia essent, apertius, quam scriptoribus etiam de ea praecipuis antehac innotuerit, modo constat: ac inter eos quidem, quantum video, annumerandi sunt Petrus Bembus, Angelus Gabriel, Paulus Canalis, Andreas Naugerius, Daniel Renerius, Baptista Egnatius, et Nicolaus Iudecus, qui Veneti omnes; Ioannes Iucundus et Franciscus Rosetus Veronenses, Scipio Carteromachus Pistoriensis, Hieronymus Aleander Mottensis, Hieronymus Menochius Lucensis, Marcus Musurus Cretensis, ac Ioannes itidem Cretensis. Alios, eosque multos, quorum nomina lateant, iis accessisse, omnino puto. At, quos adiutores studiorum suorum Venetiis Aldus habuit, vel

ante institutam Academiam, vel postquam ea floruit, societatis illius participes affirmate non ego nuncupo: inter priores nimirum Iustinum Decadyum Corcyrensem, Aristobulum Apostolium Cretensem, qui et Arsenius Archiepiscopus Monembasiensis, Alexandrum Agathemerum seu Bondenum Venetum, Urbanum Bolzanium Bellunensem, Thomam Linacrum Anglum, Gabrielem Braccium Brasichellensem, Hieronymum Avantium Veronensem; inter posteriores autem Ianum Lascarem Rhyndacenum, Desiderium Erasmum Roterodamensem, Demetrium Ducam Cretensem, Ioannem Baptistam Rhamnusium Venetum, et alios, quorum de Aldinis editionibus merita egregia patent.

(1) De Ioanne Rhoso Cretensi cogitatio subit, qui codicibus Graecis exscribendis operam diutissime impendit, ut ex plurimis, qui adhuc supersunt, compertum est; eaque de caussa ad munus correctoris librorum in Academia obeundum accomodatus omnino fuisset. Ac Venetiis quidem diu librarium egisse et anno etiam 1492 Athenagoram et Stephanum Byzantinum pro Laurentio Me-

dice descripsisse certum est (Bandini Catalog. Codd. MSS. Graec. Laurent. T. II. p. 144): *deinceps attamen Romae degens occurrit, ubi anno sequenti Stobaeum descripsit* (Bandini Lib. cit. p. 447) *et anno* 1514, *pro Alexandro Farnesio Cardinali, extrema aetate Aphthonii et Hermogenis exemplum confecit* (Fabricii Bibl. Graec. ed. Harlesii T. V. p. 788). *Num intermedio tempore, quo Academia Aldina floruit, Venetiis fuerit, eamque ipse auxerit, nullo argumento, quantum saltem novi, probari potest.*

Non itaque alius hic mihi est, quam Ioannes Gregoropulus Cretensis, qui epigrammate Graeco, ad initium Etymologici Magni anno 1499 *Venetiis impressi, Nicolaum Blastum Cretensem, quod sumptus pro illius editione fecisset, laudavit; eidemque Blasto Hesiodum, quem ipsius itidem impensa descripserat, epigrammate alio nuncupavit; codice ipso adhuc superstite in bibliotheca Mosquensi Sanctae Synodi a Christiano Friderico Matthaeio nuperrime relato* (Notitia Codd. MSS. Mosq. Lipsiae 1805 T. I. p. 185). *Hic ipse vero Ioannes Cretensis Academicus Aldinus idem*

utique mihi videtur, cuius Beatus Rhenanus meminit in epistola ad Carolum V. Imp. operibus Erasmi anno 1540 *in editione Basileensi praefixa, cum de Ioanne Conone Norimbergensi Ordinis Praedicatorum praeceptore suo scribit, quod Ioanni Amerbachio pro editione Basileensi operum Sancti Hieronymi addictus*, e vestigiis antiquorum codicum ea quae vel deerant, vel erant depravata, diligenter reponebat: idque poterat homo propemodum Graece, quam Latine, doctior, versatus nimirum in optimis auctoribus, aliquot annis excellentissimorum in Italia professorum, Marci Musuri et Scipionis Carteromachi, quorum ante meminimus, atque Ioannis Cretensis minime poenitendus auditor. *Id sibi facile suadeat, qui Cononem in epistola, qua Iodoco Gallo Basilii Magni libellum de differentia* usiae *et* hypostasis, *a se Latine redditum Patavii anno* 1507 *misit, haec scripsisse sciat:* In Italiam fato nuper, Venetaque ad litora veni, ubi Aldum illum Romanum, veluti alterum Alanum, vidi; ab eoque perhumaniter exceptus, cum eius hortatu animum paene concussum, incerta sede nutantem, quiete illa,

quam bonae litterae pariunt, firmare contenderem, ex adverso insurgens fortuna inquit: Quid tibi vis pauper etc. ... Venetiis primum, ope Aldi Romani et Fabii Columnii docti et humani presbyteri, litteris Graecis operam navavi: deinde, ut maiori proventu iisdem et sacras adiiçerem, ad Patavinum gymnasium concessi, ut illum utriusque linguae praeceptorem Marcum Musurum Cretensem, summa gloria et profectu, cum reliquo philosophorum et theologorum coetu, legentem audirem. *Quibus testimonium aliud eiusdem Cononis accedit in praefatione ad Gregorii Nysseni libros octo a se Latine vulgatos ex versione Burgundii Pisani:* quam, *inquit ille*, reformavi illis denique Graecis dicendi proprietatibus animatus, quas potissimum a praeceptore meo in utraque lingua disertissimo, Marco Musuro Cretensi, nuper in gymnasio Patavino didici, antea vero Venetiis sub Aldo Romano veluti parente et initiatore: addam et Scipionem Carteromachum eruditorem perhumanum. *Haec et alia scripta Cononis Basileae anno* 1512 *impressa sunt.*

(2) Magna fuit Scipioni Forteguerrae Pistoriensi, qui Carteromachus appellari ma-

luit, cum Aldo studiorum officiorumque coniunctio. Libros Graecos ab eo impressos, nimirum Aristotelis Organum, Thesaurum Cornucopiam Hortosque Adonidis, Dictionarium Graecum, Aristophanem, Homerocentra, Iulium Pollucem, Nonnum, Gregorium Nazianzenum, Anthologiam, Demosthenem, Constantini Lascaris Grammaticam, epigrammatibus et epistolis Graecis Carteromachus exornavit: ab Aldo inscriptionem Iuvenalis et Persii laudesque multas vicissim tulit. Academiam, in qua Graece loquendum esse hac lege a se scripta et lata statuit, litteris etiam Graecis tradendis iuvisse, Aldus testis est in praefatione ad librum tertium Grammaticae Lascaris; qua libros Apollonii grammaticos in ea explicasse prodit. Fit iccirco ut in eadem quoque habita videri possit Oratio de laudibus litterarum Graecarum, anno 1504 *Aldi typis impressa, qua Demosthenis interpretationem tunc aggressurus, Venetos, tanquam ad litteras illas capessendas atque servandas instructissimos sic alloquebatur:* Quare beatum iudico eum, quem cuivis studio incumbentem degere in Veneta civitate

contigerit, sed beatissimum, quem litterariae facultates exceperint; cum tot praesertim tantaque undique suppetant affluantque ad eam rem commoda, ut fingi fortasse plura possint, haberi certe non possint. Ibi enim, ut alia omittam, tanta librorum copia, quanta post Gothicam ruinam nunquam fuit, nec veteribus vero Romanis aut Graecis florentibus, in his quae exstent, fuisse credi par est; cum novo hoc invento carerent imprimendorum librorum, qui et pulcherrimi iam atque emendatissimi prodire incipiunt, Aldi potissimum nostri opera; de quo illud habeo dicere, quod de Porphyrio inquit Simplicius: Omnium bonorum nobis auctor Aldus. *At vero ad annos quoque superiores Carteromachi schola haec est referenda, ex epistola Benedicti Philologi, qua Petri Criniti libros de Honesta Disciplina, Florentiae anno* 1504 *impressos ei dicavit*. Notum est omnibus, *inquit ille*, quantum eruditio tua in Veneta Academia a viris doctis celebretur, qui te poetam et oratorem maximum, nec non inter philosophos eloquentissimum, et inter eloquentes philosophum summum appellant. Non est hoc silentio praetereundum, te

publice in eadem urbe celeberrima annis superioribus, tanto omnium concursu et favore Graecas litteras professum, et ea haud veritum interpretari, quae in hunc usque diem aut pauci admodum, aut nullus aggredi est ausus. *Multa sunt de Carteromacho in Diario Litteratorum Italiae T. XX et T. XXVI a Fontaninio dicta, a Zacharia in Bibliotheca repraesentata et aucta: quem equidem* reconditae et absolutae eruditionis hominem *Erasmus, ut primum Bononiae congressus cum eo est, appellavit* (Epist. ad Iodocum Gaverum, Oper. T. III. p. 788); *tanta Graece loquendi et scribendi facultate praeditum Petrus Alcyonius dixit*, ut solus, post veterum Graecorum, Platonis, Isocratis, Demosthenis, et Strabonis interitum, orbae eloquentiae tutor relictus videretur (De Exilio p. 247 ed. Lips. 1707); *in litteris autem tradendis usque adeo probatus fuit, ut Pierius Valerianus scripserit:* Plurimum is proderat ingeniis, abditissimos quosque locos disciplinis in omnibus interpretando; ut facile diceres, nihil ad suam usque diem scriptum, quod ille non legisset, nihil ab eo lectum, quod non in aliorum fru-

gem benignissime communicaret (De Infelicit. Litterat. p. 356 ed. Lips. 1707).

(3) *Baptista Egnatius, familia Cipellorum Venetiis ortus, litteras humaniores in patria annis fere tricenis professus, maxima auditorum frequentia, scriptisque non paucis editis, magnum est nomen adeptus; quod commentariolo de illius vita et scriptis accurate confecto, Ioannes Augustinius instauravit illustravitque. Specimen eius ingenii primum typis editum, Oratio scilicet in laudem Benedicti Prunuli praeceptoris sui, anno* 1502, *ex Academia Aldina prodiit. Aldo eiusque officinae in editionibus scriptorum Latinorum curandis, praesertim Valerii Maximi, Epistolarum Plinii, Lactantii, Apologetici Tertulliani, Gellii, Svetonii, Scriptorum Historiae Augustae, Eutropii, Officiorum Ciceronis, Celsi, perutilem operam ipse praebuit. Tantam de eius in se benevolentia fidem Aldus habebat, ut moriens ultimae voluntatis executorem, una cum viris aliquot aliis sibi constanti amicitia coniunctis, fecerit; testamento anno* 1515 *scripto, quod a Zacharia demum vulgatum est* (Bibliot. di Storia Let-

ter. T. III. P. I. p. 378). *Egnatius, Aldo mortuo, Lactantium a se recensitum emisit, laudes eius praecipuas epistola ad Antonium Trivultium luculenter complexus, qua haec quoque inquit:* Vixit ille quandiu licuit, et vixit in summa omnium probitatis ac eruditionis opinione. Neque enim ulla tam barbara, tam remota gens hodie Europae finibus includitur, cui non notissimum Aldi nomen, ac celeberrimum fuerit: sed et plerosque non ignobiles viros vel hac sola caussa Venetias venisse constat, ut unum hunc salutarent et viserent, magnisque etiam muneribus donarent; et quos urbs tanta tamque admirabilis ad sui contemplationem non traxerat, unius viri fama perduxit, adhortati pro virili ut instituto restituendae Latinae ac Graece linguae proposito insisteret.

(4) Paulum Canalem Venetum ex gente patricia in Academiam Aldinam cooptatum fuisse nunc primum cognoscere est: quod rectissime factum testimonia de eius doctrina luculentissima suadent. Egnatius in Racemationibus, quo opere libros quosdam de Genealogia Deorum a Canali pene ad exitum

deductos commemorat, sic de illo ominabatur (Cap. 6): Quem locum *Iuvenalis* caecutientes nos admonuit iuvenis et Graece et Latine apprime doctus Paulus Canalis Patricius Venetus, flos delibutus, ut ille de Cethego vetus poeta; quem vere, si vixerit, quod Superi feliciter annuant, phoenicem unicum futurum spero: tam pertinax illi studium, tam acre sublimeque ingenium, tam tenax memoria, tanta praeterea est morum probitas. *At spem eiusmodi pulcherrimam morte abruptam, ex Pierio Valeriano libro primo de Infelicitate Litteratorum ita scribente intelligimus:* Sane quidem cum de litteratis sermo est, nullius ego libentius meminerim, quam Pauli Decanalis, qui quantae fuerit eruditionis, nulli non innotuit. Is enim vix quintum et vigesimum aetatis annum attigerat; et praeter absolutissimam Latinarum Graecarum et Hebraicarum litterarum cognitionem, disciplinas etiam illas illustriores, philosophiam, astrologiam, et mathematicas reliquas artes non primis, ut multi, labris degustaverat, sed pleno fonte exhauserat. Qui quidem, dum praestanti labore Ptolemaei Geographiam, non tam temporum, quam im-

peritorum hominum iniuria, passim depravatam incolumitati pristinae reddere contendit, neque sibi die, neque noctu parcit, tam utilem et iucundam humanis ingeniis cognitionem brevi exhibiturus; ex nimia scribendi assiduitate nixu et perseverantia, rupta intra pectus vena, ita sanguinem coepit evomere, ut nulla medicorum arte sisti posset. Tum ille fatalem instare diem inspiciens, id unum habuit praematurae mortis et interceptae in studiis gloriae solatium, quod, rerum aliarum omnium contèmpta cura, sacris initiatus, et in Augustinianorum Eremitarum claustra inclusus, intra paucissimos dies, intaminatae iuvenis vitae, integerrimum pudicissimumque animum coelo reddidit. *Obiit Canalis anno* 1508, *non Eremita Augustinianus, sed Monachus Camaldulensis ante paucos dies factus: de quo monumenta praecipua scriptis tradita Ioannes Augustinius tomo secundo de Scriptoribus Venetis collegit. Addam ego Athenaei codicem, olim Palatinum, modo Parisiensem, anno* 1505 *et sequenti* a Paulo Decan. Veneto Patricio *exaratum, a Schweighaeusero in editione sua Athenaei praestantissima. afferri;*

quem ab uno quodam ex familia Veneta Degan *prodiisse is perperam putat, cum a Paulo Canali re quidem vera descriptus ipse fuerit.*

(5) Hieronymo Menochio Lucensi inter Academicos Aldinos locum fuisse, ex hoc ipso monumento nunc itidem primum cognoscere licet: neque tamen novum eius nomen apud eos est, qui conatus et scripta Italorum pro recto medicinae studio instaurando norunt. Epistolam ad Nicolaum Leonicenum anno 1503 *is dedit, haec quoque scribens:* In his sane tuis scriptis multa reperi quae mihi cordi fuere, sed praecipue unum de cane rabido, de quo olim in domo Aldi Romani Venetiis, coram Nicolao Zoccha Veneto medico verba feceram multa; quoniam Dioscoridem Graece legeram multosque alios iuniores Latinos, talem gravissimum morbum eiusque curationem ex arte ponentes.... Hortor te, ut quoad per tuas occupationes licet, Galeni reliqua volumina interpretanda aggrediare, vel si aggressus es, iam edere festines. Quid enim mendosius eius Latinis libris circumfertur, quidve magis tetrum? Adeo enim eius libri depra-

vati sunt, ut quivis eos legere aspernetur; et quanquam eorum lectioni multum insudet, ex ea tamen nullum saepe, interdum pravum sensum elicere possit, cum Graeca librorum Galeni lectione nihil sit elegantius. *De locis nonnullis Dioscoridis quidnam Leonicenus sentiret, Menochius rogabat; cui tanquam philosopho et medico praestantissimo ille respondens:* Quam mihi, *inquit*, nuper reddidit Franciscus Tottus Lucensis, communis amicus, epistola disertissima, plane mihi indicavit, te non esse ex numero illorum qui barbaram philosophiam ac medicinam profitentur: alioquin non tam eleganter scriberes, neque tantopere nostras translationes, aut nostra scripta, quibus praecipue barbaros auctores vellicamus, comprobares. Equidem hac tua epistola lecta, coepi de saeculo nostro bene sperare, cum videam me tales habere viros idem mecum de tota philosophia et medicinae arte sentientes, qualis tu unus es, et alter Constantius noster Pistoriensis, vel quidam alii, exigui sane numero; sed „ *Bello vivida virtus* ". *Edita utraque epistola est cum Leoniceni libro de Plinii et plurium aliorum me-*

dicorum in medicina erroribus, scriptisque eius quibusdam aliis, Ferrariae anno 1509 *impressis.*

(6) *Franciscus Rosetus Veronensis, et ipse nunc primum Academicis Aldinis annumerandus, idem fortasse est, de quo Aldus in epistola ad Baptistam Guarinum ante Theocritum Hesiodum aliosque poetas Graecos, anno* 1495 *a se impressos, scribit:* Hanc interpretationem (*Distichorum Catonis*) in membrana abhinc trecentis annis et plus eo scriptam, litteris prope exesis ut vix dignosci possent, vidisse se retulit mihi Franciscus Roscius, iuvenis plenus fide et Graece et Latine apprime doctus. Nec mirum; est enim ipse ex tua felici Verona oriundus, quae mater et alumna est, et semper fuit doctissimorum hominum: *de quo eodem in epistola ad Marinum Sanutum ante Ovidii Fastos anno* 1503 *impressos, haec habet:* Quos Ovidii versus dedit mihi imprimendos Franciscus Roscius Veronensis, vir utraque lingua eruditus, ac diligens indagator antiquorum voluminum, seque ab antiquissimo codice accepisse retulit. *Roscium Maffaeius novit, non item Rosetum;*

atque adeo huius nulla scripta in Verona illustrata retulit. Hymnos Roseti in Divos legit Sabellicus, et valde probavit epistola, cuius initium (Lib. XII. Epistolar.): Legi hymnos tuos, legique cupidissime: eo dico cupidius, quo res fuit diutius expectata. Incesserat incredibilis cupiditas animum tuae istius hymnologiae videndae: sed tu omni expectatione mihi maior occurris, comptus, elegans, venustus, multo veteribus, quam nostris, propior. Difficile dictu est, quam ex omni parte placeas: fecisti certe ut te, quem semper dilexi, iam et amare et mirari incipiam. Debebit tibi omnis Christiana pietas; sed omnium maxime protomystae et hymnicines, qui per te habebunt quod et cantent et utiliter legant. *Eorum in laudem hosce versus Coelius Calcagninus fudit, cum suis aliis, et Ioannis Baptistae Pignae ac Ludovici Areosti, Venetiis anno* 1553 *impressos pag.* 178.

De Hymnis Rhoseti Poetae

Hymnos ne metuas mei Rhoseti
Divina gravitate delibutos,
Quis Paean melior relevit omne
Terrai vitium interire posse.

Vivent, crede mihi, nec iis nocebunt
Cana secula; non enim deceret
Immortalibus esse dedicata,
Quae dispendia temporum subirent.

Hymnos Roseti editos vidi nunquam: bene vero tres ipsius de Vita Divae Ursulae libros heroico carmine conscriptos, quibus Mauris *titulus est. Henrico VIII Angliae Regi eos dedicavit, ac Venetiis anno* 1532 *impressos ad eum per filium misit, de paupertate, qua vexabatur, conquestus. Laudibus qui poema immodice extollerent, non defuere; praesertim Arsenius Apostolius Archiepiscopus Monembasiensis epigrammate Graeco, et Franciscus Renerius ac Labienus Velutellus Latinis duobus, quae adiecta in editione sunt. Numisma Roseti Museum Mazzucchellianum Tabula XLVIII exhibet; in quo* Liberalium Artium Professor *dictus apparet.*



